

NUMMI VOTIVI:

CVSI IN HONOREM ELISABETHÆ

Angliæ Reginæ: confœderatos provinciarum Belgicarum in protectionem suam recipientis: Anno Christi

1586.



Onfœderatorum Belgij Ordinum Proceres, cum frustra de auxiliis sibi ferendis Galliarum Regem Henricum Tertium appellassent: is verò cā tempestate à Guisianâ & Hispanicâ factione impediretur, quo minus desolatis Belgij Provinciis succurrere, & quod quidem in votis habebat, opem iis ferre posset: nihilominus tamen Angliæ reginæ, & Navarra regi se illos commendaturum promisit. His rationibus adducti status Belgici legatos suos, ex omnibus sibi confœderatis Provinciis, in Angliam ablegant: qui magnificè excepti, in tutelam ac patrocinium, contra Hispaniæ regem, se se recipi petebant. Consiliarij reginæ ad illorum partes prorsus quidem etant propensi, multa tamen occurrebant, quæ rem ambiguum facerent: Regem admodum potentem esse Hispanum: Hugenos Gallicos auxilia itidem flagitare, utrisque commodè succurri vix posse. Vicit tandem tamen eorum autoritas, qui *Leoni Selandico strenuè luctanti, egressis suis emergere cupienti* opem ferendam esse suadebant: id quod non sine prægnantibus causis fieri, Apologiâ, initio Octobris, in lucem emissâ declararunt. Quibus permota

Eliza-